stabilis et inconvulsa omni permaneat aevo, hanc cartam inde conscriptam manu propria corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domni Heinrici quarti regis. (L. M.) (L. S.)

Fridericus cancellarius vice Sigefridi archicancellarii recognovi.

Data Idus Jan. anno dominicae incarnationis M. LX. III. indictione II. Anno autem ordinationis domini Heinrici quarti regis VIIII., regni vero VII. Actum Triburiae in dei nomine feliciter amen.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit ziemlich wohlerhaltenem Siegel.
Schoettgen u. Kreysig dipl. Nachlese VII. S. 396. — Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 16.

No. 29. 1068. 28. Oct.

K. Heinrich IV. schenkt der Stiftskirche zum Vortheil des Capitels zwei königl. Hufen zu Löbtau im Burgwart Pesterwitz des Gaues Nisan.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Notum sit omnibus Christi nostrique fidelibus tam futuris quam praesentibus, qualiter nos pro remedio animae nostrae parentumque nostrorum, et ob dilectae nobis contectalis nostrae regnique consortis, videlicet Berthae reginae beatitudinem, necnon per interventum fidelium nostrorum, scilicet Herimanni Bauenbergensis episcopi, Gregorii Vercellensis episcopi, Bennonis Misniensis episcopi ceterorumque familiarium nostrorum ad altare Misni deo sanctoque suo Donato constructum fratribusque ibidem servientibus deo, duos regios mansos sitos in villa Livbitvwa, et si ibi aliquid defuerit, in proximo cum bene aratis agris implendis in pago Nisani in burchuuardo Bvistrizi cum omnibus suis appendiciis, id est utriusque sexus mancipiis, terris cultis et incultis, areis, aedificiis, pratis, pascuis, aquis, piscationibus, molis, molendinis, exitibus et reditibus, quaesitis et inquirendis, silvis silvarumque utilitatibus et cum omni commoditate, quae ullo modo inde provenire poterit, in proprium damus, ea videlicet ratione, ut praepositus loci ipsius hoc praedictum praedium possideat, et quamcumque utilitatem in eo elaborare poterit, per singulos annos fratribus fideliter administret. Et ut haec nostra regalis munificentia firma stabilisque omni permaneat aevo, hanc cartam inde conscriptam manuque nostra corroboratam sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domini Heinrici regis quarti. (L. M.)

Pibo cancellarius vice Sigifridi archicancellarii recognovi. (L. S.)

Data est V. Kal. Novemb. anno dominicae incarnationis M. LXVIII. indictione VII., anno ordin. domini Heinrici XVI., regni vero XII. Actum Rochlezi[1]), feliciter amen.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; das aufgedrückt gewesene Siegel fehlt.
Schoettgen dipl. Nachl. VII. S. 384. — Seyffarth ossileg. Benn. p. 9. — Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 17.

1) Rochlitz.